



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CII. De Testamentis, & Legatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

142 Erot. Eccles. Cap. CII. De Testamentis, & Legatis.

ob quem talis iste juravit non ludere. E. gr. si juravit non ludere, ut se privet à delectatione, parvitas materiæ erit parva delectatio. Si, ut non consumeret, tempus in vanum, parva materia erit parva mora; si, ut vitaret jacturam pecuniæ, parva pecunia exposita in ludo erit parvitas materiæ; si ut rixas, aut blasphemias fugeret; parvitas materiæ desumenda erit ex occasione, in qua se exposuit, talium peccatorum. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 18. num. 2. & 3. Diana part. 5. tract. 5. resol. 38.

34. *Quer.* An possit dispensari juramentum non ludendi ad tollendum periculum mortalis peccati in eo, qui nisi difficillimè potest à ludo abstinere? *Resp.* Plures Doctores negant. Alii tamen benigniori sententia id concedunt; eoque magis volunt, posse commutari in aliquod pium opus. Diana part. 6. tract. 9. resol. 55. & in Summ. Diana verb. Votum num. 49.

Tandem, quia hæc scribimus etiam ad instruendum eum, quem futurum speramus Episcopum.

35. *Quer.* An poterit juramentum de non ludendo dispensari, vel commutari ab Episcopo, quando jurans, vel vovens, addit, & quod ab eo juramento, vel voto dispensari non possit, nisi per Papam? *Resp.* Secundum Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 11. dub. 5. num. 2. Episcopum posse dispensare, & commutare, quia iste casus non est de illis quinque reservatis Papæ; nec posse jurantem, vel vorentem auferre ab Episcopo auctoritatem, quam dedit ei jus commune; idque tenet etiam Diana part. 7. tract. 9. resol. 59. quæ reposita est in opere Coordinato d. tom. 6. tract. 4. resol. 69.

CAPUT CII.

De Testamentis, & Legatis.

1. *Quer.* Quid sit Testamentum? *Resp.* Est legitima significatio voluntatis propriæ de eo, quod quis de universo patrimonio suo fieri vult post mortem cum institutione hæredis. DD. in l. 1. ff. de Testam.

2. *Quer.* Quotuplex sit Testamentum? *Resp.* Est duplex: aliud Militare, quod à militibus in castris fit; aliud Paganicum. Hoc autem pariter est duplex. Unum solemne, seu in scriptis, per quod secretò Testator disponit de rebus suis. Alterum nuncupativum, & sine scriptis, in quo Testator palam coram testibus nominat hæredem; at nihil prohibet, quin & hoc Testamentum à Notario redigatur in scriptis ad maiorem probationem; sed in hoc non est necessaria scriptura, prout in solemni. DD. in l. consultissima. C. de Testamen.

3. *Quer.* Quæ sint necessaria pro validitate Testamenti? *Resp.* De Jure civili, supposita habilitate Testatoris in testando, & hæredis pro hærede faciendo, in Testamento solemni requiruntur septem testes rogati

uno, & eodem tempore; & quod subscripserint, & obsignaverint Testamentum, in Testamento autem nuncupativo requiruntur septem testes rogati, qui intelligant testamentariam dispositionem. dict. l. Hac consultissima. C. de Testamentis. At de Jure Canonico in utroque Testamento, quando testator facturus testamentum est infirmus, sufficit præsentia duorum testium, & Parochi, seu Sacerdotis, cui totius curæ administratio data est. cap. Cum esses, de Testament. Imò, si testamentum sit ad pias causas, sufficit, si duo tantum testes sint præsentés, cap. Relatum in primo de Testam. Ita Antonellus de Regimine milit. Ecclesie lib. 1. cap. 10. num. 27. & seqq. ubi plurimos allegat. Guid. Pap. decis. 543. num. 11. & 12. ubi advertit, quòd si infirmus ex illa infirmitate convalesceret, testamentum hujusmodi non valeret, saltem ultra annum.

4. *Quer.* Quale sit Testamentum ad pias causas? *Resp.* Esse illud, in quo pia causa est hæres, vel immediatè, vel mediante substitutione. Diana part. 7. tract. 6. resol. 1. Antonell. ubi supra num. 1. Quamvis Addeu. ad Burat. decis. 475. num. 17. advertat, testamentum ad pias causas dici, quando pia causa fuit primo loco instituta; secus si in remotum, & in certum futurum successum substituta.

5. *Quer.* Quæ dicantur Legata pia? *Resp.* Ea esse, quæ præcipuè relicta sunt ob Dei, & Sanctorum honorem, vel spiritualem animæ salutem; qualia sunt relicta Ecclesiis, piis locis, pupillis, pauperibus, & miserabilibus personis; Item Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis piis operibus, de quibus plenè Antonell. ubi supra à num. 2. & seqq. & ibi DD.

6. *Quer.* Quæ sit differentia inter legata pia, & quæ talia non sunt? *Resp.* Quod exequutio piorum Legatorum non differtur durante tempore inventarii; & fructus debentur à die mortis testatoris. Antonell. ubi supra num. 9. 10. & 11.

7. *Quer.* An testamenta sine solemnitatibus à Jure statutis facta sint adimplenda in foro conscientiæ? *Resp.* Esse hinc inde opinioniones contrarias. Negat Sotus de justitia, & Jure lib. 4. quest. 5. art. 3. & Covarr. in dict. cap. Cum esses, num. 16. de Testam. Afferit Mantica de Conject. ult. volum. lib. 2. tit. 12. & Antonell. num. 32. alios DD. cumulant.

8. *Quer.* An sint attendendæ solemnitates Juris Civilis, vel solemnitates Juris Canonici pro validitate testamenti? *Resp.* In terris Ecclesiæ servare sufficit solemnitates Juris Canonici. Extra verò Ecclesiæ Statum temporale servandæ sunt solemnitates Juris Civilis, seu statutorum particularium; nisi testamenta essent ad pias causas, vel fuissent condita à Clericis, quia in his duobus casibus etiam extra Terras Ecclesiæ sufficiunt solemnitates Juris Canonici. Valasc. decis. 74. num. 13. Antonell. dict. lib. 1. cap. 10. num. 29. 30. & 31.

9. *Quer.* An sint alia testamenta, quæ sustineantur sine solemnitatibus juris civilis? *Resp.* Sustineri testamenta militum, & testa-

menta Patris inter liberos, in quibus sufficit presentia duorum tantum testium; imò absque testibus sola subscriptio testatoris. Diana part. 7. resol. 17. tract. 6. Antonell. ubi supra num. 41. & 42.

10. *Quer.* An foeminae possint esse testes in testamento? *Resp.* De jure civili non posse. Covaruv. in dict. cap. Cum eses, num. 14. de Testam. De jure vero Canonico pariter negat Clarus in §. Testamentum. q. 57. num. 2. in fine. At affirmat Abbas in dict. cap. Cum eses, num. 3. & sic de Jure Canonico foeminas posse adhiberi tanquam testes in testamento, communiter docent Doctores, ut probat Jo. Crotus in tract. de Testib. tit. Qui testes prohibentur esse in testam. quivè non. num. 18. 19. & 20. & alii, quos citat, & sequitur Antonell. dict. lib. 1. cap. 10. num. 37. & 38. ubi hanc opinionem eò magis habere locum ait, si testamentum sit ad pias causas.

11. *Quer.* An de Legatis piis detrahatur Falcidia, seu Trebellianica? *Resp.* Regulam esse negativam. Antonell. ubi supra num. 64. sed excipiuntur ab ea nonnulli casus, in quibus detrahi potest. Primus casus est, quando Testator detractionem concessit. Auth. Sed cum Testator. C. Ad l. Falcidiam. Secundus est, quando Ecclesia est hæres, & legatum relictum est alteri Ecclesiae; nam una Ecclesia detrahit falcidiam in solutione legati faciendæ alteri Ecclesiae. Abbas in cap. Cum causam, num. 2. de Prob. Antonell. ubi supra num. 69. ubi quod dissentit de hoc Mogonius decis. Floren. 139. num. 10. Tertius casus est, quando testator plus legavit, quam habebat. Gabr. Comm. conclus. tit. ad Trebell. lib. 4. conclus. 11. num. ult.

12. *Quer.* An filiusfamilias possit testari ad pias causas? *Resp.* Posse de peculio castrensi, vel quasi. At non posse de aliis peculii, nisi de expresso consensu Patris. Antonell. ubi supra num. 73. 74. & seqq.

13. *Quer.* An circa Testamenta, & Legata pia possit Episcopus dispensare, ita, ut relictæ ad unum usum convertantur in alium? *Resp.* Regulam esse negativam, etiam si hæredes consentirent, & mutatio fieret in melius, per text. in Clem. Quia contingit. ubi Gloss. & DD. de Relig. domib. & in Concil. Trident. sess. 7. cap. ult. & sess. 25. cap. 8. de reform. Pax Jordan. lib. 9. tit. 1. num. 541. tom. 2. Antonell. ubi supra num. 77.

Porro aliqui sunt casus, in quibus Episcopus potest dispensationem, & commutationem concedere. Primus est, si res legata deservire non possit pro usu destinato propter impedimentum juris, vel facti. Jordan. ubi supra num. 544. & seqq. Secundus est, si legatum absque dispensatione fieret caducum, ut si quis pro salute animæ suæ legasset centum Bertæ Virgini monachandæ, quæ, si monialis non fiat, vel moriatur, poterit alteri puellæ applicari, quæ monialis fieri velit. Jordan. ibid. num. 552. Tertius casus est, si commutatio non sit perpetua, sed temporalis ex justa, & legitima causa. Jordan. num. 554. Et sic Eminentiſſimus D. meus Cardinalis Barbadicus Episcopus Paduanus, me proponente, in

Congregatione coram Eminentia Sua, dispensando concessit, ut legatum annuum relictum pro ornamento Altaris Deiparæ in Ecclesia Parochiali Baptalæ, posset per decem annos expendi pro ornamento Altaris Sanctissimi Sacramenti, attento, quod Altare Deiparæ erat ditissime ornatum, Altare verò Sanctissimi Sacramenti erat ornamento omnino destitutum; & nulla erat facillior via providendi illius nuditati. Et quartus est casus; quando testator non expresserit sufficienter, quomodo sit expendendum legatum, nam Episcopus id declarare poterit. Jordan. ubi supra num. 558.

14. *Quer.* An relictæ pro nubendis puellis, debeantur iisdem, si Moniales fiant? *Resp.* Affirmative. Barbos. de Offic. & potest. Episcopi alleg. 83. n. 27.

15. *Quer.* An relictæ, ut dispensentur pauperibus, possint retineri à dispensatore, si ipse sit pauper? *Resp.* Affirmative, dummodo scandalum cesset. Navar. in Summ. cap. 25. num. 122. Jordan. ubi supra n. 559. in fine.

16. *Quer.* An facultas dispensandi, quam habet Episcopus in Legatis piis, transeat ad Capitulum Sede vacante? *Resp.* Affirmative. Diana part. 8. tract. 4. resol. 34.

17. *Quer.* An in dispensatione, vel commutatione ab Episcopo, vel Capitulo faciendæ, causa debeat esse justa, & necessaria simul; vel sufficiat, quod sit vel justa, vel necessaria? *Resp.* Sufficere vel justam esse, vel necessariam esse. Comitol. resp. Moral. lib. 9. quæst. 9. Antonell. d. lib. 1. cap. 10. num. 82.

18. *Quer.* An Rectores Ecclesiarum possint repudiare legata, vel hæreditates suis Ecclesiis relictas, absque beneplacito Apostolico, & sine incurſu pœnarum, de quibus in Extravag. Ambitiose, de rebus Eccles. non alienand. ? *Resp.* Esse controversiam inter DD. sed probabilem esse opinionem, quod non incurrant; & sic quod possint renunciare, quando nondum acceptatum fuit legatum, nec adiverunt hæreditatem. Antonell. dict. lib. 1. cap. 11. per totum.

19. *Quer.* Quis sit Judex competens in Legatis piis? *Resp.* De jure esse Episcopum etiam respectu Laicorum, & contra Laicos, cap. Nos quidem, cap. Si hæredes, & cap. Tua nobis, de Testament. Concil. Trident. sess. 22. de Reform. cap. 8. Antonell. d. lib. 1. cap. 10. num. 15. ubi subdit, Episcopum esse etiam de jure piarum voluntatum executorem, ubi alius executor non sit à testatore ordinatus, vel nisi prohibitus fuerit à testatore sub pœna nullitatis, seu caducitatis legati, vel testamenti. Vulpes in Praxi Judic. cap. 10. num. 11.

20. *Quer.* Quid possit agere Episcopus, si executores Testamentarii, vel hæredes sint negligentes in solvendis legatis piis? *Resp.* Debet Episcopus eos cogere per censuras Ecclesiasticas, præfigendo terminum ei benè visum vel unius anni, vel sex mensium; quo transacto potest devenire ad declarationem censurarum, & eisdem inter-

terdicere administrationem hereditatis. Theſaur. de Pen. Eccleſ. part. 2. Verb. Teſtamen-
ta cap. 1.

21. *Quer.* An Episcopus habeat eandem facultatem circa legata non pia? *Resp.* Habere, dummodo non sit præventus a Iudice Laico, quia circa legata profana compulſio hæredum, seu executorum testamentariorum est mixti fori. Abb. in cap. Si hæredes, num. 7. & in cap. Cum eſſes, n. 33. de Teſtam. Theſaur. d. cap. 1. num. 3. Et cum his finem ponamus ſeptimo Præcepto, in quo actum est de rebus proximorum; & ad octavum tranſeamus, famam proximi concernens.

CAPUT CIII.

De Octavo Præcepto.

1. *Quer.* Quæ ſint peccata præcipua, quibus hoc Præceptum octavum violatur? *Resp.* Eſſe ſex: Detractionem, Contumeliam, Deriſionem, Suſurationem, Iudicium temerarium, & Libellus famoſus.

CAPUT CIV.

De Detractione.

1. *Quer.* Quid ſit Detraction? *Resp.* Eſt occulta, & inſta denigratio, ſeu laſioſama proprie, vel alienæ. Et dicitur occulta ad differentiam contumeliæ, quæ fit in faciem ejus, cui detrahitur honor, ut ſi quis appellat Titium furem eo audiente; tunc enim contumeliam in eum committit. Si verò eo abſente, detractionem facit. Bonacin. tom. 2. de reſtit. in genere, diſp. 2. quaſt. 4. punct. 1. num. 1. & 2. Ubi notat, diſſerre detractionem, & contumeliam, ſicut Furtum, & Rapinam.

2. *Quer.* An detractor ſit, qui peccatum proximi revelat Superiori, ut illum puniat, vel de eo loquitur cum perſona habente notiſſiam ejusdem peccati? *Resp.* Negative, quia hæc locutio non eſt inſta, neque cum laſione. Bonac. ubi ſupra num. 3.

3. *Quer.* Quid ſit fama, & honor? *Resp.* Fama eſt bona opinio de aliquo circa ejus aliquod bonum. Honor verò eſt actus exterior, quo quis verbis, vel factis teſtatur bonam opinionem, quam habet de alicujus excellentia. Reginald. lib. 10. num. 83.

4. *Quer.* Quotuplex ſit detraction? *Resp.* Eſt duplex, formalis, & materialis. Prima eſt, quæ fit animo auferendi famam proximo. Secunda, quæ fit abſque diſta intentione. Utraque tamen eſt peccatum mortale, quando eſt graviter læſiva, & committitur cum advertentia. Bonacin. ubi ſupra num. 5.

5. *Quer.* Quot modis committatur Detraction? *Resp.* Octo modis; quorum quatuor dicuntur directi; & quatuor indirecti, & his verbis continentur:

Imponens, Augens, Manifſtans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit: reticet, laudatve remiſſe.

Imponens. Cum imputatur alicui crimen falſum.

Augens. Cum amplificatur crimen alicujus verum.

Maniſtans. Cum crimen occultum, quamvis verum, revelatur.

In mala vertens. Cum quod bona intentione ab aliquo fit, interpretatur in malam partem. His modis directè auferitur proximi fama, Indirectè verò,

Qui negat; Id eſt, negando rectè facta, & bona alterius.

Aut minuit; Id eſt, diminuendo laudes, & opera bona.

Reticet. Cum non vult loqui ſuper bonis operibus proximi ſui; & talis reticentia accipitur pro tacita vituperatione, & opprobrio.

Laudatve remiſſe. Quando ita frigide laudat, ut potiùs ab audientibus formetur contra laudatum opinio ſiniſtra. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad tertium.

6. *Quer.* Quando detraction poſſit excuſari a peccato mortali? *Resp.* Quando defectus maniſeſtatus eſt levis, vel maniſeſtatio facta fuit ex inadvertentia. Bonacin. d. diſp. 2. quaſt. 4. punct. 1. de reſtit. in genere num. 7.

7. *Quer.* An in detractione concurrant circumſtantia mutantes ſpeciem, & neceſſario exprimenda in Confeſſione? *Resp.* Affirmative. Nempè detraction contra Sacerdotes, quæ habet circumſtantiam malitiæ oppoſita erga reverentiam. Vel contra patrem, quia eſt malitia contra pietatem; vel ex odio, quia eſt malitia odii. Cap. Sacerdotes, 6. qu. 1. Reginald. lib. 24. num. 72.

8. *Quer.* Quando reputetur defectus levis in detractione ad excuſandum detractorem a peccato mortali? *Resp.* Quoties non graviter lædit famam proximi. Ideo attendenda eſt qualitas perſonæ, de qua quis locutus eſt; nam, qui de milite dixerit eſſe blaſphemum, non peccabit mortaliter, aut quoddam puellam deceperit. Non ita, ſi de probro viro, aut religioſo idem aſſeveraſſet. Bonacin. ubi ſupra punct. 2.

9. *Quer.* An ſit mortale peccatum detractare famam alicujus defuncti? *Resp.* Affirmative, & eſſe reſtituendam famam, vel revocando maledicta, vel ſatiſfaciendo damnis evenientibus illius familiæ, vel ſuffragia faciendo pro anima defuncti. Bonac. d. punct. 2. num. 3.

10. *Quer.* An ſit mortale peccatum detractare alicui per verba generalia; videlicet, aſſerendo, aliquem eſſe avarum, ſuperbum, ambitioſum, iracundum, ignarum? *Resp.* Negative per ſe loquendo, quia homines prudentes per hæc verba non formant opinionem de peccato mortali. Exterum, ſi ille, a quo detrahitur, eſſet Prælatuſ, vel vir bonæ opinionis in morali vita, eſſet mortaliſ culpa: & talis cenſetur de quocunque, quando aſſeritur, eſſe aliquem mendacem, dummodo perſona non ſit